



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Reverendissimo & Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Vito Adamo
Episcopo Frisingensi, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

Reverendissimo & Illustrissimo
Principi ac Domino,

DOMINO

VITO ADAMO,
EPISCOPO
FRISINGENSI, &c.

Dominus meo Clementissimus.



Eriſſime dixit Sapiens: est Eccleſ. 4, 7.
confuſio adducens glori-
am & gratiam, Reveren-
dissime & Illustrissime
Princeps, Domine Cle-
mentissime: persuader
hoc Confessionum sua-
rum Libris Sanctus Augustinus, cui pro
confuſione, quam ex vitæ non innocen-
ter actæ infamia metuere poterat, gra-
tiam & gloriā dedit Dominus. Nemo Psal. 83, 3.
ex ullis unquam Panegyricis tantam glo-
riam collegit, quantam Augustinus ex
his, quas in ſe ſcripſit, inveſtivis; nec
quisquam tanto honoris prouentu fe lau-
davit, quanto ille vituperavit. Totus or-
bis fatentem hunc reum absolvit, qui
contra ſeipſum ſententiam tam candide,
tulit ac ſcripſit. Nec ſolum laudes, ve-
rum & gratias meruit Augustinus, quia
plus.

DEDICATIO

plus profuit confitendo , quam obfuerit
Eccles. 19,
23. peccando. Non nequiter se humiliavit
sed salubriter ; nec interiora ejus plena
fuerunt dolo , sed Dei amore ac gratia.
Ille impulit, ut alios suo exemplo docere
vellet ; hæc adjuvit, ut recte posset. Quan-
tis argumentis in suo Ecclesiaste Salo-
mon Vanitatem Vanitatum demonstrat ,
tantis Augustinus in suis Confessionibus
Conversionem à peccatis ad D E V M per-
suadet ; uterque expertus Magister, ideo-
que fide dignus ; quam illi non adhibere
nefas esset, isti negare temerarium. Nihil
solidum vitæ hujus honoribus & amori-
bus inesse, ostendit Solomon : & monet ,
ne tam parvo einamus pœnitere. Quod
quare, quomodo , quam fortiter, sapien-
ter , constanter agere debeamus, si pœni-
tenda fecimus , docet Augustinus hoc
præstantissimo libello. Vnde tum reme-
dia , tñm incentiva petere possunt gratiæ
D E I reparandæ , qui eam decoxerunt :
& cautelas , ac constantiæ stimulos , qui
nondum in scelerum voraginem corrue-
runt. Hoc polliceri ausim omnibus , qui
attenta bonaque mente Augustini Con-
fessiones perlegerint , eos semper lectio-
nis suæ operæ pretium relatueros. Vel e-
nim concipient propositum melioris vi-
tæ , si in peccatis hærent ; vel in alienis
periculis sua intelligent ; vel solida prin-
cipia divini amoris imbibent , quibus ad-
versus peccati illecebras , animum obfir-
mare possint. Accedit peculiaris styli sua-
vitas ,

D E D I C A T I O.

vitas , ac sententiarum vegetum lumen :
quo dispulsi veluti tenebris , animus
blande in bonum impellitur, ut reniti vix
possit, et si velit.

Quæ mihi caussa fuit, ut superiori hy-
me otium nactus , Notas ac Summaria
in hunc libellum elaborarim , juvando
lectoris intellectui affectuique. Nam &
meo usu, & aliorum confessione compe-
ri quædam obstare , ne tam facile omnia
intelligi possint, quam conduceret. Qua-
re, si tantum profeci , ut saluberrima le-
ctio expeditior faciliorque videatur, gra-
tulabor labori & conatui meo : quem di-
vinæ gloriæ , animarumque saluti, quan-
tillus etiam est, totum destinavi.

Scriptionis caussam dixi ; inscriptionis
Illustrissima Celsitudo Vestra , spero ido-
neam quoque esse arbitrabitur. Eximia
enim humanitas longe lateque celebrata,
& multis mihi argumentis frequenter de-
monstrata, fiduciam facit, ut ab Illustris-
simo Celsitudinis vestræ nomine , lucem
mihi accendere audeam : & in ejus sinu
hunc libellum reverenter deponere , ob-
servantiæ gratiæ animi testem publi-
cum. Non ignoro multis me nominibus;
Reverendissimæ & Illustrissimæ Celsitu-
dini Vestræ obstrictum , quæ ut dissolve-
re nequeam , confiteri certe debedo. Sum
ejus Religionis instituto addictus , quam
etsi ætate , dignitate , meritis minimam,
suo tamen amore, patrocinio, benevolen-
tia , Reverendissima & Illustrissima Cel-

D E D I C A T I O.

situdo Vestra quoque , clementissime
complectitur.

Sed non communis solum, privato quoque nomine nexus teneor : & priusquam Societati me addicerem , & postea frequenter, Reverendissimæ & Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ propensum in me, benevolumque animum expertus. Vnde ad beneficia tum precibus pro Reverendissimæ & Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ salute : tum quibus potero obsequiis non quidem compensanda , cum vires desint, at saltem recognoscenda , æternum me obstrictum fateri plane cogar. Ipsa denique Academia Dilingana mihi stimulos admovit, ut hoc libello Reverendissimam & Illustrissimam Celsitudinem Vestram, suo etiam nomine venerarer. Agnoscit enim illa gratulabunda, quantum sibi ornamenti præsidiique ex eorum infulis honoribusque accedit , qui Virtutis Doctrinæque fundamenta apud se posuerunt, & utrumque in summam fortunam pertulerunt. Inter hos, cum Reverendissima & Illustrissima Celsitudo Vestra , plurimum emineat , par sane fuit , ut Academicorum quispiam aliquando , id debita cum observantia , publicis veluti tabulis profiteretur. Hoc mihi dolet, me tot nominibus obrutum , neque uni satisfacere posse. Verum Reverendissima & Illustrissima Celsitudo Vestra, fortunæ magnitudinique suæ id tribuat , meaque parvitatì uti ignoscat , rogo. Nec libellum hunc pagellis

D E D I C A T I O .

pagellis suis , sed animi mei affectu , qui
amplissimus est , metiatur ; ac Societa-
tem nostram , Academiam Dilinganam ,
me demum , clientelæ suæ posthac quo-
que , clementissime accenseat . Dilingæ ,
Festo S. Catharinæ Virginis & Marty-
ris . Anno M. D C. x x x.

Rever.^{mæ} & Ill.^{mæ} Celsitu-
dinis V.^{ræ}

Humillimus in Christo
Servus ,

H E N R I C Y S W A N G N E R E C K ,
Societatis I E S V .

F A -